UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

§. 3. An Parentes pro Liberis, vel Liberi sine Consensu Parentum contrahere possint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

Visual Library

quo valere poteſt. ℞. Pro favore libertatis matrimonialis mihi videri probabilius S. Pontificem *ind. c. fin.* loqui præſumptive, quòd ſcilicet in dubio, quando non conſtat, an impuberes voluerint ſponſalia vel matrimonium contrahere ob defectum ætatis, potius cenſeantur ſponſalia contraxiſſe; at verò ſi conſtaret, quod voluerint ipſum matrimonium contrahere; tunc quia ad valorem cujusvis actus requiritur voluntas & potentia, ideò ſuccedit alia regula ex *c. cum ſuper. de offic. delegat. quod voluit*, ſcilicet matrimonium, *non potuit*, & *quod potuit*, ſcilicet ſponſalia, *non voluit.* ſicut idipſum multi & plures numero (alijs tamen diſſentientibus) DD. docet de matrimonio ſine Parocho & teſtibus contracto, ut ne quidem in vim ſponſalium valeat, niſi mens contrahentium fuiſſet, ſe omni meliori modo obligare, vel niſi ſponſalia de futuro præceſſiſſent, quæ utique per matrimonium invalidum ſubſecutum non fuiſſent extincta, *Barboſ. de offic. Epiſcop. alleg. 32. n. 143. cum pluribus ibidem citatis.*

§. III.

An Parentes pro Liberis, vel Liberi ſine conſenſu Parentum Sponſalia vel Matrimonia contrahere poſſint?

Summaria.

1. *Parentes poſſunt deſpondere liberos.*
2. *Quando & qualiter illa deſponſatio obliget?*

3. Ex-

3. *Explicatur textus contrarius.*
4. *Quis nomine parentum & liberorum intelligatur?*
5. *Pupillus vel ſoror tutoris vel fratris tractatum expreſſo conſenſu ratificare debet.*
6. *Reſolvitur Hæreticorum contrarium argumentum.*
7. *An filij nubentes invitis parentibus exheredari poſſint.*
8. *Filius alimentandus, & filia pro ſtatu mariti dotanda eſt etiam invitis parentibus nubentes.*
9. *Quomodo & quando ſæculares principes matrimonijs pœnam ſtatuere poſſint?*

Parentes 10 *liberorum matrimonia ſine causâ impedire non poſſunt, nec tamen impedientes excommunicationem incurrunt.*

11. *Quando parentum diſſenſus ſolvat ſponſalia?*

1 CErti & indubitati juris eſt, quòd parentes liberos ſuos deſpondere, & pro ijs matrimonium vel ſponſalia contrahere poſſint, *c. honorantur. 72. p. 2. c. 1. de deſponſat. impuber.*

2 Ita tamen hæc deſponſatio obligabit liberos ſi præſentes fuerint, & non contradixerint, quàmvis de cætero expreſsè conſenſum non declaraverint, quòd ſi minores ſeptennio vel abſentes fuerint, liberi tempore illo, quo parentes contraxerunt, eorum liberorum ratihabitio & approbatio accedere debebit, tempore pubertatis adveniente; aliàs ſponſalia nulla erunt, nec inde publicæ honeſtatis impedimentum exſur-

exurget, *c. unico §. porro. eod. in 6.* Imò amplius
dico, licet pater liberos impuberes etiam poſt
ſeptennium deſponderit, ij tamen, ſicut alia
ſponſalia, quæ ante pubertatem contraxiſſent,
adveniente pubertate irritare poſſent, juxta
dicta *in §. præcedent.* Ita etiam iſta, quia abſo-
lutè verum eſt, quòd matrimonium ſine con-
ſenſu puberis validè contrahi nequeat, & con-
ſenſus filiorum à parentibus in contrahendo
matrimonio neceſſariò non dependeat.

Nec obſtat *c. 1. eod tit.* ubi dicitur, quod fi- 3
lius pro quo nondum adulto pater ſponſalia
contraxit, ea debeat, ſi ad perfectam ætatem
pervenerit, omnino adimplere. Nam hic *text.*
explicari poteſt de debito honeſtatis, ſi ſcilicet
filius nullam rationabilem diſſentiendi cauſam
habeat, non autem de debito præcepti vel ne-
ceſſitatis, *Panorm. in eodem cap. 1. n. 7.*

Cæterùm parentum vel liberorum nomine 4
non tantùm Pater, ſed etiam Mater, item non
tantùm liberi in poteſtate patriâ conſtituti, &
legitimi, ſed etiam emancipati & naturales in-
telliguntur, quia diſpoſitio juris inter parentes
& liberos non facit diſtinctionem, nec funda-
tur in poteſtate patriâ, ſed in affectione paternâ,
quæ ſanè ratio tam in patre quàm in matre, tam
in liberis in poteſtate, quàm extra eam conſti-
tutis procedit, ut cum communi DD. tradit
Gutierez *de matrim. c. 13. §. 5.*

Aliud tamen ex communiori ſententiâ dicen- 5
dum videtur, ſi tutor pro pupillo, frater pro
ſorore

ſorore præſente & non contradicente ſponſalia contrahat, hæc enim ſponſalia non ex eo ſolo valebunt, quòd pupillus vel ſoror non contradixerit; ſed inſuper requiretur, ut verbo factóve, vel prius per mandatum, vel poſteà per ratificationem conſenſum ſuum declararint. quia in re tam gravi non cenſetur ille, qui tacet, conſentire in ſui præjudicium, ac detrimentum, & jura id voluerunt ſpecialiter ſolis parentibus attribuere, ut eorum conſenſus pro filiorum conſenſu haberetur, non autem idem ſtatuerunt de alijs conſanguineis, ut rectè notavit Glos. *in c. 1. de matrim. contract. contra interdict. Eccleſ. per text. ibidem Sanch. lib. 1. diſput. 27. num. 4.* Quare licet fortè pupillus aut ſoror tutore vel fratre promittente reverâ internè conſenſerit, antequàm tamen hunc conſenſum ſuum per ſignum externum expreſſerit, non obligabitur. Ratio eſt, quia promiſſio non acceptata non obligat, ſed talis promiſſio merè interna acceptari ab alterâ parte non potuit, ergo &c.

6 Opponunt quidem hæretici ſectantes hac in parte Jus Civile, jure divino & naturali eſſe præceptum, *honorare Parentes*, adeóque ipſis invitis nil facere, præſertim in re arduâ & magni alicujus momenti, in quâ etiam ipſorum præjudicium verſatur; ut ſi filius cum dedecore ſuæ familiæ matrimonium cum ſatis ſibi impari in nobilitate v. g. vel divitijs contrahat, atqui inquiunt, ſtatutum jure divino & naturali S. Pontifex & Conc. abrogare, vel immutare non

non poſſunt. Sed reſponderi debet, tantùm in genere jure divino conſtitutum eſſe, *honorare parentes*, at verò quod in ſpecie matrimonium vel alius actus ſine conſenſu parentum factus valeat, vel non valeat, non haberi ex jure divino, ſed ex declaratione vel conſtitutione Pontificiâ vel humanâ.

Quod ſi hæretici ſuam ſententiam ex illo præcepto: *Honora patrem & matrem*: ſtabilire volunt, neceſſariò etiam contra omnes ſuos DD. hæreticos concedere debebunt, in contrahendo matrimonio non tantùm patris, ſed etiam matris conſenſum requiri, quia tam pater quàm mater honorari præcipitur, quod tamen Juri Civili adverſatur, ubi tantùm ejus parentis conſenſus deſideratur in cujus poteſtate liberi ſunt; notum autem eſt, matres non habere liberos in poteſtate, §. *fœminæ. inſtit. de adoption.*

Interim tamen ſi liberi abſque rationabili causâ inconſultis vel invitis parentibus, matrimonia contrahant, id licitè non faciunt, & plerumque etiam mortaliter peccare ac exinde puniri poſſunt, quamvis matrimonium ita contractum ſubſiſtat, & valeat.

Sed an propterea liberi à parantibus exheredari poſſint? controvertitur. Negativa communiter recepta eſt, quia contrahere nuptias invitis parentibus non recenſetur inter cauſas exheredationis, *in novel.* 115. *n.* 3. aliunde autem eſt communis doctrina, quòd ex aliis cauſis, quàm ibi expreſſis exheredatio non conce- 7

datur

datur; eo quòd in pænalibus & odioſis extenſio non ſit facienda, *vulgato c. odia. de regulis juris in 6. Harp. ad §. fin. Inſtit. de exhered. lib n. 66.*

8 Porrò ſicut pater filio ſe invito contrahenti nuptias, hereditatem, multo minus alimenta denegare poteſt, ita etiam filiæ ſine ſuo conſenſu nubenti dotem conſtituere debet, quia dos ſuccedit in locum alimentorum: ſub hac tamen moderatione, ut, ſi filia indigno & vilioris conditionis nupſerit, non teneatur pater dotem dare juxta conditionem & ſtatum filiæ, ſed ſtatum mariti, quia uxor ſequitur conditionem mariti, ſive deinde maritus fuerit dignior, vel vilior, *L. veteri. Cod. de incolis.* adeóque ſufficit eam ſecundùm conditionem mariti alimentare, *videatur Sanch. lib. 4. diſput. 24.*

9 Utrùm autem Principes ſæculares poſſint pænas ſtatuere liberis ſine conſenſu parentum nubentibus? In utramque partem rationes afferri poſſunt; quidam negativam reputant probabiliorem, eo quòd cauſæ matrimoniales & condere leges circa matrimonia ſint de foro eccleſiaſtico, & non pertineant ad principes ſæculares. *Arg. c. tuæ. de ordine cognitionum, c. 11 de ſponſal.*

Altera tamen ſententia etiam non eſt improbabilis, dummodo leges concipiantur de illo caſu, quo liberi ſine rationabili cauſa invitis parentibus nubunt, nam quando actus eſt malus, tunc etiam principes ſæculares poſſunt adjuvandi Juris Canonici gratiâ eundem prohibere,

bere, & punire, præſertim ſi aliquo modo in præjudicium Reipublicæ tendat, ſicut hîc, ubi ex nuptijs liberorum graves nonnunquam inimicitiæ inter parentes & conſanguineos proveniunt, dicetur etiam inferius *in §. 6. ſub. n. 20. verſ. dico 6.*

Econtra ſicut liberi non debent invitis parentibus ſine rationabili causâ nuptias contrahere, ita parentes peccant, ſi abſque causâ liberorum matrimonia impediant, & multò magis, ſi eos ad certa matrimonia invitos cogant, tum propter ſcandalum & malos exitus, qui ex invitis nuptijs ſequuntur, tum etiam quod liberos privent jure ſuo, quod habent circa ſtatûs electionem. An verò parentes ſine causâ legitimâ impedientes matrimonia liberorum vel eoſdem ad matrimonia cogentes incidant in excommunicationem, quam tulit Trid. *ſeſſ. 24. de Reform. matrim. c. 9.* contra omnes impedientes libertatem matrimonij dubitari poteſt? verius eſt non incidere, quia Conc. tantùm loquitur de Dominis & Magiſtratibus, qui ex vi jurisdictionis, quam in foro externo habent, ſubditos ad matrimonia cogunt, vel ab ijs impediunt, conſequenter in materiâ odiosâ & pœnali ad alias perſonas facienda non eſt extenſio. *Gutier. Canon. Quæſt. l. 1. c. 29.* 10

Unum adhuc notabile placet hic adſcribere, quod licet diſſenſus patris non invalidet matrimonium jam contractum, ſi tamen ſola ſponſalia jam contracta ſint, & inde ex diſſenſu 11

parentum & conſanguineorum fortè propter inæqualitatem contrahentium aut aliam cauſam magnum ſcandalum timeatur, vel alius malus exitus, poſſit judex Eccleſiaſticus tale matrimonium prohibere & ſponſalia irritare, cùm virtus Juſtitiæ non obliget ad actum peccaminoſum, ex quo notabiliter læditur charitas proximi, parentum pietas, & cognatorum amicitia diſſolvitur, ſicut docet Gutierez *d. c.* 29. *num.* 23. Sanch. *lib.* 1. *diſput.* 14. *num.* 3.

§. IV.

De Impedimentis Impedientibus Matrimonij.

Summaria.

1. *Quid & quotuplicia ſint impedimenta?*
2. *Impedimenta impedientia enumerantur.*
3. *Quid ſit Eccleſiæ vetitum?*
4. *Quid tempus Feriarum?*
5. *Quid Catechiſmus?* 6. *Quid inceſtus?*
7. *Superveniente poſt matrimonium ſaltem ratum affinitate per copulam inceſtuoſam pars delinquens perdit jus exigendi debitum.*
8. *Pœnæ inceſtûs non extenduntur ad inceſtum cum propriâ conſanguineâ commiſſum.*
9. *Textus contrarij explicantur.*
10. *Inceſtus etiam poſt mortem uxoris commiſſus annexas habet conſtitutas pœnas.*
11. *Inceſtus commiſſus ultra ſecundum gradum non habet annexas illas pœnas.*
12. *Ut inceſtus mereatur pœnas, copula debet eſſe perfecta.*

13. *Pœna*